

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Pauli Ad Philemonem Argumentum Per Des. Erasmum  
Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

---

I N  
EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM  
ARGUMENTUM

P E R  
D E S. E R A S M U M R O T E R O D A M U M

**G**Raeci tradunt, hunc Philemonem genere Phrygem fuisse, quam nationem intractabilem ac servilem esse vel graeco proverbio iactatum est: Phryx plagis emendatur. Quem tamen Paulus ob pietatem et officia in sanctos, inter praecipuos habuit amicos. Huius servus Onesimus Romam profugerat non sine furto, quod fere servi solent. Illic audito Paulo, qui tum in vinculis erat, evangelicam doctrinam amplexus est, ac Paulo servivit in carcere. Verum ne quid herus ob servi fugam animo cruciaretur, remittit eum, sed miro studio miraque civilitate servum et fugitivum et compilatorem domino reconcilians, se interim sponso-rem offerens, depensus si quid ille suppilasset in fuga. Scribit autem e vinculis per dictum Onesimum, quem et filium vocat.

A R G U M E N T I F I N I S.

---

I N

IN  
 EPISTOLAM  
 PAULI AD PHILEMONEM  
 PARAPHRASIS  
 PER  
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM

*CAPUT I.*

**P** 1 Aulus antehac apostolus ac servus Iesu Christi, nunc etiam vincus eiusdem; cur enim non illius vincus esse glorier, ob cuius evangelium haec vincula gesto, non ut poenam maleficiorum, sed ut insigne liberi strenuique praeconis, simulque mecum evangelicae praedicationis consortio frater Timotheus, Philemoni, communis fidei professione fratri unice diligendo, neque fratri tantum, verum etiam pluribus officiis consorti mihi et participi in evangelica functione, huiusque uxori  
 2 Appiae, mihi ob fidei cognationem sorori plurimum amandae, et Archippo commilitoni nostro, reliquaque  
 3 congregationi, quae domi illius est, gratia vobis et pax a Deo patre nostro communi, et huius filio domino nostro Iesu Christo. In precibus meis, quibus  
 4 quotidie Deo solitus sum litare, semper illi gratias ago tuo nomine. Nam huic acceptum fero, quod audio  
 5 praedicari ab omnibus, et fidei tuae sinceritatem, et caritatem vere evangelicam, quam obtines erga dominum Iesum, nec in hunc solum, verum etiam in omnes